

ra illi contigua ad forum & curiam attinentia efficiunt : sunt enim specie omnino recentiora . Cæterum magnificentissimus ille columnarum cæterorumque lapidum apparatus , unde eo tempore tam facile quæri potuisset , quum res Venetæ adhuc tenues essent , non video : sed sive tum primum Particiatio Duce , sive postea (quod magis credo , & quod annales ferme omnes testantur) id opus editum sit , illius splendor & amplitudo exigunt , ut rem tantam silentio non præteream : quia longum esset ipsius loci singula enarrare , de eximio ejus apparatu pauca referam . Est itaque opus ipsum , ut variis usibus comparatum , ita in faciem non unam divisum : quarum ea , quæ ad occasum quæque ad meridiem spectat , duplici columnarum serie confurgit : hæc cui totius molis onus est impositum , columnas habet peregrini lapidis magis crassas quam proceras . Sumptuosi ad hæc arcus eadem arte & materia parati , columnas ipsas non multum inter se distantes superbo complectuntur fornice : superior ille ordo , qui eodem ferme lapide & opificio constat , eo frequentiores columnas habet , quo & tenuiores : has columnellæ densissima serie dispositæ inferiore parte circumvallant , ita ut non solum fulciant , sed ornatum etiã afferant incredibilem . Sed tam superior hic ordo , de quo proxime sum locutus , quam ille inferior amplissimam explicat porticum : quarum quæ eminentior est , in usum fori pene tota absumitur : reliqua usque ad culmen totius molis facies , quæ precioso lapide albo puniceoque in tesserarum speciem secto est distincta , adeo eminenti fastigio se tollit , ut non minus fatiget quam delectet spectantium oculos . Huic superbissimo operi ex plumbeis tegulis tectum impositum . Id totum quod supra forum est , partim amplissima Bibliotheca Græcis Latinisque voluminibus non infrequens occupat , quorum partem non parvam Bessarion Cardinalis ex testamento intulit : reliquum quod ad meridiem spectat , Comitium habet , nam quo alio nomine locum ipsum appellare possim , in quem octavo quoque die interdum sæpius omnis coit nobilitas creandorum Magistratum causa ,